


um (cuius apud me in quodam artificio incepit apparere liberalitas.) D. Paulum Simlerum. D. Martinum Rulandum. D. Iohannem Rungium, familiares mihi ex literarum commercio viros, à quibus spero nos visuros tandem arcanorum vastam syluam, cum consilia ad maturum perduxerint: Non omitto D. Mockium. Nithammerum.

Rumbomios. Rösslinum, & alios innumeros chymiaë veræ deditos, quos rogo vt quantum fieri potest, hac in parte huic arti exornandæ pleneq; constiuendæ non deesse velint.

Quæ ex mea deprompta sunt penu, quæq; ratione & experientia, præter præcepta catholica laboriosissimè magnaq; cum ingenij lucta, ex exemplorum farragine indiscreta, excerpta & conformata, comprobauit, per se patebunt cuique. Hoc moneo, si non statim sua exempla ad suos retuli autores, id factum boni iudicet ideò, quia partim in coaceruatione prima, dum indiscretim multis annis conscripta fuerunt & collecta, autorum nomina exciderunt; partim planè latuerunt, nec apparuit ad quem quid esset referendum. Ita multa ex anonymis editis & non editis cõgesta sunt; multa passim ab artificibus diuersis ignobilibus accepta, nec non priuato studio inuestigata. Non itaque fieri potuit vt singulis adderetur suus inuentor. Fortassis etiam quæ vni autori accepta feruntur, ea sunt alterius cuiusdam antiquioris, quod me latere potuit. Si quis sibi putat iniuriam factam, aut alteri benè merito, me nolle factam credat, & paratum esse si monear, sua suis reddere. Sed ne sibi quis vendicet quæ sunt alterius, vt solent Paracelsitæ.



ALCHE.